

Quibus condicionibus Tacitus ellipsim verbi admiserit et qua ratione excoluerit.

Dissertatio inauguralis
scripta et
amplissimo philosophorum ordini
Universitatis literarum Julio-Maximilianae
Wirceburgensis
ad
summos in philosophia honores
rite capessendos
die XV. mens. Jan.
tradita
a

Casparo Stuhl
Kleineibstadtiensi.



Frisingi
ex typis Fellerer
MDCCCC.

Omnes qui Tacitum vel leviter attigerunt, brevitatem sententiis gravem praecipue librorum eius propriam esse paene una voce inter se consentiunt*). Haec insignis proprietas, quam quo quis altius introspexit, eo magis admiratur, cum multis aliis rebus tum detractione partium quarundam orationis, inprimis verborum, quae quidem nullo sensus detrimento desiderari possunt, efficitur.

Haud pauci viri docti in brevitate Tacitea interpretanda et quoad fieri potest regulis subicienda elaboraverunt; ante omnes Guilelmus Boetticher, qui in prolegomenis lexici sui p. 73 sq. etiam de stili Taciteі brevitate scripsit. Sed cum neque initia progressusque huius proprietatis dicendi, quatenus in Taciti scriptis inde ab Agricola usque ad finem annalium cerni possunt, in quaestionem vocaverit et singula genera eius paucissimis exemplis illustraverit, rem haudquaquam absolvit. Similiter Storch in observationibus aliquot ad grammaticam Taciteam pertinentibus (Memel 1868) et Robertus Schmidt in programmate Dramburgensi „de ellipsi Tacitina“ (1871) nonnulla quidem ad rem accuratius cognoscendam contulerunt, sed materiam copiosam exemplis magis adumbraverunt quam exsecuti sunt.

Multo uberius de omissione verbi substantivi, in cuius suppressione brevitatem elocutionis Taciteae vel maxime apparere recte

*) Adversantis partes solus M. Hauptius, alioquin subtilissimus generis dicendi Tacitei existimator, suscepit, qui brevitatem Taciteam rem esse incertam atque imaginariam asseverat. Cf. Christian Belger, Moriz Haupt als akademischer Lehrer, Brl. 1879 S. 268. At haud scio an id quod ipse scriptori assignat quodque cum poetis ei commune esse dicit, nihil aliud sit nisi eadem illa brevitas, quam ceteri omnes in scriptore agnoscunt. Nam haec sunt verba eius: „Des Tacitus Geist hat etwas dem Dichter Verwandtes, und wenn Tacitus ausser der Geschichtschreibung zu etwas befähigt war, so war es gewiss zum tragischen Dichter. Eigentümlichkeit des Dichters aber ist es, dass in dem engsten Raum der Worte soviel Vorstellungen und Anschauungen als möglich geweckt werden. Genau so ist es bei Tacitus“. Nonne eandem virtutem Sallustius, qui et ipse brevitatem maxime affectavit et cuius Tacitus studiosus fuit, in Catone, illo viro vere Romano et „Romani generis disertissimo“ his verbis laudat: „multa paucis absolvit“? Cf. etiam Quint. VIII, 81, qui Sallustium plura paucis complecti ait.

monuit, Carolus Wetzell disseruit*). Nihilo setius ne is quidem etsi de natura atque indole sermonis scriptoris pernoscenda optime meruit, rem ad finem perduxit, quia et ellipsim formarum e s t et s u n t apud participium perfecti a Tacito multo saepius quam a prioribus admissam tractare omnino supersedit neque in singulis omissionis verborum generibus distinguendis rhetoricam artem satis respexit, sed notas extrinsecus sumptas potius secutus est.

Neque tamen dubium est, quin summus ille artifex eloquentiae, qui et verborum et iuncturae structuraeque verborum delectum accuratissimum rebusque enarratis tam mire convenientem habuit, in hoc quoque instrumento oratorio usurpando non temere egerit, sed semper fere certis rationibus adductus sit.

Accuratissime denique Georgius Clemm cum de aliis breviloquentiae Taciteae generibus tum de verborum suppressione disputavit maximeque quaestionem in qua versamur provexit. Solam verbi substantivi omissionem paene intactam reliquit aliique commentationi seposuit (p. 63), quae quod sciam nunquam in lucem prodiit. Itaque mihi proposui praecipue hanc, deinde alias quasdam breviloquentiae formas, quibus elocutioni Cornelianae insignis color additur, retractare. Qua in re numero locorum quam maximo adscripto, quo usus dicendi gradusque ac progressus, per quos scriptor singula genera omissionis excoluit, manifestiores exsistant, et eum ordinem, quem Henricus Plew in programmate Tilsitensi de ellipsi verbi copulativi esse apud poetas Latinos scripto servavit, secutus primum de suppressione v. s. apud participium perfecti, deinde de eiusdem verbi omissione apud nomen, postremo de detractione verborum oriendi exsistendi agendi dicendi disseram.

*) Cf. iudicium, quod Woelfflin et Andresen de dissertatione eius fecerunt in Bursian, Jahresberichte 1875 II p. 759 et Jahresberichte des philol. Vereins in Berlin 1878 p. 291.



I.

Latissime patet atque ab omnibus scriptoribus Latinis, inprimis historicis omissio formarum verbi substantivi est et sunt apud participium perfecti passivi admissa est. Livius*) quidem creberrimus est in hoc genere ellipsis praecipueque in enuntiatis simplicibus atque brevibus, quae membra continuae narrationis sunt, eas formas saepissime suppressit eiusque exemplum Tacitus secutus est; sed qua erat parsimonia verborum, maxime in narratione historica hoc genus dicendi multo magis adamavit atque semper fere cum elegantia adhibuit**).

1. Ac primum quidem huc spectant concisa illa enuntiata, quibus res bellicae magis significantur quam late tractantur. Neque enim in his magnam curam et operam consumere scriptori, cui rationem causasque rerum indagare magis cordi erat, operae pretium esse videbatur***). Ex magna exemplorum copia haec in ordinem quendam digesta adscribere satis habeo: A 38: datae ad id vires; I, 80: cura tribuno data; I, 61: ad quadraginta milia armatorum data; II, 9; datae e classe duae triremes; II, 25: spatium d. refugiendi; signum pugnae d. = 2,15; III, 55: ceterae cohortes L. Vitellio d; 1,57; 12,17. In enuntiato relativo „sunt" omissum est 4, 24: quae legatis aut tribunis data. 1,57: secutae legiones; II, 100: deinde quinta et duodevicesima secutae; IV, 9; III, 55; II, 58: praemissi centuriones; I, 34: praemissus tamen in castra Piso; II, 99; 13,41. In enuntiato relativo copula deest II, 41: e quibus bina milia praemissa. Alia eius generis exempla sunt: III, 45: tum petita a Romanis auxilia; I, 64: legio Italica et ala Tauriana abductae; II, 66: legio in Britanniam transvectae; 13,39: nec tamen proximo itinere ductae legiones; I, 87: summa expeditionis permissa; II, 57: cura ripae Hordeonio permissa; 13,35:

*) Cf. L. Kühnast, Livianische Syntax, p. 275.

**) Etiam post Taciti aetatem Gellio auctore suppressio formarum v. s. elegantioris stili putabatur. Cf. Gell. V, 8.

***) Cf. W. S. Teuffel, Geschichte der röm. Lit.[4] p. 769.

habiti dilectus; 13,40: recepta inter ordines impedimenta; II, 45: legati paulisper retenti; II, 86: scriptae in Britanniam epistulae; III, 5: principes Sarmatarum in commilitium adsciti; II, 12: nox proditioni electa; V, 22; III, 35: praesidiis occupati transitus Alpium; III, 50; IV, 68; V, 16: in secunda acie legiones locatae; 13,39: libritoribus funditoribusque attributus locus; 15,28: equites adsumpti; 6,42 Ctesiphon sedes imperii petita; III, 59: sed foeda hieme conflictatus exercitus; II, 94: robora subtracta; II, 100: legiones petere iussae; III, 16; III, 63; 1,63; II, 70: ea clade perculsi Treveri; II, 14: additus perculsis terror; II, 43; II, 44: ceteris fractus animus; 12,17: ceteris metus iniectus; IV, 61: hiberna subversa cremataque; I, 69: deditio accepta; IV, 79; 12,35; 4,51; III, 63; IV, 76; III, 48. In enuntiatione secundaria participium verbo caret 4,51: ubi tandem coacta deditio.

Usitatissima est ea omissio v. s., cum de iacturis atque detrimentis in pugna acceptis sermo fit. Itaque participia caesus, occisus, interfectus, trucidatus, captus plerumque sine copula inveniuntur. Cf. A 37: caesa hostium ad decem milia; I, 68: multa hominum milia caesa, multa sub corona venundata; II, 60; III, 47; III, 22; IV, 15; IV, 79; 1,49; 3,74; 4,48; 12,54; 12,35; 15,8.

Comparandus est Livius hisce locis: 27,18: caesa ad octo milia; 10,14: tria milia et quadringenti caesi, capti octingenti ferme et triginta, signa militaria capta tria et viginti; 10,15; 19,30.

Ex Sallustio haec exempla praesto habeo: Iug. 91: ceterum oppidum incensum, Numidae puberes interfecti, alii omnes venum dati; praeda militibus divisa; 99: denique omnes fusi fugatique; arma et signa militaria pleraque pluresque eo proelio quam prioribus interempti.

2. Interdum etiam hoc abrupto sermonis genere vis atque impetus, quo quid repente incidit, aut rapidus processus plurium actionum deinceps subsequentium depingi videtur. Talia participia, quae semper ferme ipsa per se rem per vim factam indicant, sunt quae sequuntur: raptus, abreptus, direptus, ruptus, perruptus, interruptus, versus, aversus, fusus aliaque similia*). Huc hi loci referendi sunt: I, 80: rapta arma, nudati gladii;

*) Etiam poetae, apprime Vergilius hoc instrumento oratorio ad augendam sententiarum gravitatem saepissime utuntur. Cf. Plew p. 23.

I, 38: rapta statim arma; I, 56: quattuor centuriones abrepti vinctique; 1,23: sarcinae fugientium direptae; I, 86: rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. Insequuntur nominativi absoluti, de quibus infra dicetur, postea: „corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, deinde remeante flumine dilapsa". Describitur subita inundatio Tiberis. Confer similem descriptionem, quae apud Plinium Secundum Ep. 8,17 legitur: Nam pro amne imber assiduus et deiecti nubibus turbines; proruta opera, quibus pretiosa rura cinguntur; quassata atque etiam decussa monumenta. Multi eiusmodi casibus debilitati, obruti, obtriti, et aucta luctibus damna.

Alia id genus exempla Tacitea sunt: II, 15: caesi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud naves; I, 67: mota propere castra, vastati agri, direptus locus; 15,15: raptae etiam vestes, retenta arma; 4,72: rapti milites et patibulo adfixi; II, 41: interruptus tribunorum sermo; I, 89: Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita; 4,25: simulque coeptus dies et aderant semisomnos in barbaros; II, 19: solidati muri, propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium et parendi amor; 4,25: ab Romanis confertus pedes, dispositae turmae, cuncta proelio provisa; II, 26: tum Othonianus pedes erupit, protrita hostium acies, versi in fugam etiam qui subveniebant; IV, 62: revolsae imperatorum imagines; IV, 77: perrupta legionum castra, fusi equites, medius Mosellae pons ab hostibus insessus; 15,35: tum intimus quisque libertorum vincti abreptique.

Ex Livio haec exempla afferri possunt: 2,25: primo statim incursu pulsi hostes; fugientibus terga caesa; 1,11: fusi igitur primo impetu et clamore hostes; oppidum captum; 21,27: ibi raptim caesa materia ratesque fabricatae; 2,47: ibi iterum caesi fusique passim. Ex libris Sallustianis huc quadrat de b. Iug. 74: repente sese Metellus cum exercitu ostendit; Numidae ab Iugurtha pro tempore parati instructique, dein proelium incipitur. Qua in parte rex pugnae adfuit, ibi aliquandiu certatum, ceteri eius omnes milites primo congressu pulsi fugatique.

Quo continuatio duarum actionum magis appareat, etiam post particulas „necdum, nondum, ut, ubi primum, postquam, donec" participia perfecti nonnunquam in vivida narratione verbo esse carent. Cf. 15,40: necdum positus metus, et rediit ignis.

Simillimus est locus Sil. It. Pun. VI, 98: necdum exorta dies, Marus instat (Plew p. 24). 3,1: ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed moenia ac tecta; 12,35: postquam rudes et informes saxorum compages distractae parque comminus acies, decedere barbari*). 2,9: postquam digressi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem; III, 57: ut collata utrimque castra, haud magna cunctatione Tarracinam occupavere; A 26: et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes.

3. Eadem brevitate deinde, qua res gestas tractat, Tacitus acta atque decreta senatus, quae in annalibus potissimum fortasse ex actis senatus excerpta memoriae prodit, obiter attingit vel quasi in transitu percurrit, ne qua satietas, quam scriptor ut qui maxime effugere studet, „obvia rerum similitudine" lectores capiat**). Talia exempla sunt:

1,15: decreta pecunia ex aerario; 4,46: d. triumphi insignia; 11,4: insignia praeturae data; 14,59: decretae eo nomine supplicationes; 12,28: decretusque Pomponio triumphalis honos; 13,41: senatus consulto supplicationes habitae; 2,83: honores reperti decretique; 15,23: et additae supplicationes templumque decretum; 4,4: quaeque decreverat senatus repetita; 6,25: actae ob id grates decretumque; 16,11: accusati post sepulturam decretumque; 2,33: multa in luxum civitatis dicta decretumque: 13,2: decreti et a senatu duo lictores; 4,29: sed hi quidem statim exempti; 4,26: repetitus ex vetusto more honos missusque e senatoribus; 4,16: filius patri suffectus; 2,43: tum decreto patrum permissae Germanico provinciae; 12,26: ceterum actae principi grates rogataque lex; IV, 39: laudes gratesque decretae; I, 19: legati quoque nominati, excusati, substituti; II, 62: pulsi Italia mathematici; 15,71: exuti dehinc tribunatu; 14,51; gratiae Vologeso actae mandatumque; 3,70: post auditi Cyrenenses; 1,79: auditaeque legationes = 2,63; 4,43; 13,48.

Livianus usus in eiusmodi enuntiatis inter positionem et omissionem verbi copulativi variat.

4. Si porro tempus, quo aliquid memoratu dignum accidit, sive

*) Cf. Sall. d. b. Iug. 109: Postquam, sicut voluerat, congressi, dicit.

**) Exsequi i. e fusius exponere nisi insignes sententias „sive per honestum sive notabili dedecore" se instituisse ipse negat (3,65).

nominibus consulum appellatis sive alio modo indicatur. Tacitus praeeunte Livio*), sed multo saepius quam ille et paucis locis, qui omnes fere in posterioribus libris annalium leguntur, exceptis copulam omisit. Collegi haec exempla.

2,1: Sisenna Statilio L. Libone consulibus mota orientis regna; 12,41: Ti. Claudio quintum Servio Cornelio Orfito consulibus virilis toga Neroni maturata; 4,45: isdem consulibus facinus atrox admissum; 6,13: isdem consulibus iuxta seditionem ventum; 13,30: damnatus isdem consulibus Vipsanius Laenas; 13,48; 15,22; 14,46; 2,47: eodem anno duodecim celebres Asiae urbes collapsae; 12,60: e. a. saepius audita vox; 14,47: gymnasium eo anno dedicatum a Nerone praebitumque oleum; 2,85: e. a. libido feminarum coercita; 6,27: extremo anni mors Aelii Lamiae celebrata; 2,23: sed aestate iam adulta legionum aliae remissae; 13,57: eadem aestate inter Hermunduros Chattosque certatum; 1,31: isdem ferme diebus isdem causis Germaniae legiones turbatae; 14,17: sub idem tempus levi initio caedes orta; 15,40: sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus.

Exstat copula 4,28: isdem consulibus reus pater accusator filius in senatum inducti sunt, cum emphasi scilicet propter facinus incredibile atque inauditum.

Praeterea posita est: 11,11: isdem c. ludi saeculares spectati sunt; 12,64: M. Asinio et M.' Acilio c. cognitum est; 14,20: Nerone quartum Cornelio Cosso c. quinquennale ludicrum Romae institutum est; 14,40: eodem anno scelera admissa sunt; 14,65: e. a. libertorum potissimos veneno interfecisse creditus est; 16,13: e. a. dilectus habiti sunt; 13,6: fine anni adlatum est; 15,46: per idem tempus gladiatores coerciti sunt.

5. Iam si res gestae aut status rei publicae priorum temporum memoria repetuntur cursumque percensentur, participiis perfecti

---

*) Livius hanc brevitatem dicendi, quam ex vetustis annalibus videtur accepisse, maxime in concisis illis enuntiatis usurpat, quibus rerum gestarum, foederum ictorum, aedium dis dedicatarum, collegiorum institutorum, tribuum additarum mentionem facit. Exempla huius generis sunt haec: 2,19: his consulibus Fidenae obsessae, Crustumeria capta; 2,21: his c. aedis Saturno dedicata, Saturnalia institutus festus dies. A. deinde Postumius et T. Verginius consules facti. Cf. etiam 9,26; 9,44; 10,1; 9,20; 7,27; 23,21. De fonte harum brevium annotationum cf. praeter Weissenbornium ad Liv. 2,19 K. W. Nitzsch, Römische und deutsche Annalistik und Geschichtschreibung (Hist. Zeitschr. von H. v. Sybel 11. Bd. S. 10).

passivi copula addi non solet. Haud raro cum participiis immixti nominativi absoluti inveniuntur, quibus scriptor res quasi digito demonstrat ac stilo festinante designat magis quam eloquitur. De his videas infra.

A 5: trucidati veterani, incensae coloniae, intersepti exercitus; A 13: domitae gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus; A 17: sed cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes; A 41: et ea insecuta sunt reipublicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus amissi, tot militares viri expugnati et capti; I, 2: quatuor principes ferro interempti; trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta: prosperae in Oriente, adversae in Occidente res, turbatum Illyricum; Galliae nutantes: perdomita Britannia et statim missa; coortae in nos Sarmatorum ac Suevorum gentes; nobilitatus cladibus mutuis Dacus; 2,3: occisso Artaxia per dolum propinquorum datus a Caesare Armeniis Tigranes deductusque in regnum a Tiberio Nerone; 2,4: dein iussu Augusti impositus Artavasdes et non sine clade nostra deiectus; 3,27: creatique decemviri et compositae duodecim tabulae . . . . corrupti spe aut inlusi per intercessionem socii; iamque non modo in commune, sed in singulos homines latae quaestiones, et corruptissima republica plurimae leges; 11,22: creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus . . . dein duo additi . . . mox duplicatus numerus . . . post viginti creati.

6. Saepissime denique neutrum genus participiorum perfecti – nec quidquam refert, de qua re agatur – cum gravitate quadam, inprimis cum impersonaliter usurpatur, in omnibus Taciti libris historicis sine copula posita est*). Iam apud Sallustium et Livium haud pauca exempla huius omissionis deprehendas. Ille quidem etiam in enuntiatis secundariis eam admisit**). Multo plura apud poetas leguntur (Plew p. [illegible]), apud Tacitum vero ea ellipsis paene in consuetudinem assiduam se vertit et rara sunt exempla positionis, quae pleraque aut in orationibus aut in posterioribus annalium libris inveniuntur. Sic copula carent in Agricola participia: compertum

*) Similiter Graeci neutrum adiectivorum verbalium in *τέον* cadentium sine verbo usurpare solent. Cf. Buttmann, Gr. Grammatik § 128,20 A. 18.

**) Cf. de b. Iug. 75: ubi ad id loci ventum; ubi ea impetrata: 91: postquam tempus visum; Cat. 28: sicuti salutatum.

(11), [illegible] (11), [illegible] (31 et 37), [illegible] (36), [illegible] (37); et in enuntiatis secundariis [illegible] (4), [illegible] (4), compertum (38), [illegible] (30). [illegible] cap. 30 quibus [illegible] est et cap. [illegible] mihi [illegible] positum est.

In Germania autem copula non exstat apud participia permissum (7), [illegible] (31), concessum (40), [illegible] (39), [illegible] (40), quaesitum [illegible] (45), deinde in enuntiatione condicionali „[illegible] permisissent" (40) et in temporali „cum ventum" (14).

Accedunt permulta alia, quae in ceteris scriptis Taciti leguntur: [illegible], [illegible], acceptum, additum, [illegible], [illegible], actum septem locis; animadversum, agitatum, auditum, quod semper in enuntiatis secundariis, quae [illegible], usurpatur: II, 28 quod ubi auditum; [illegible] 15,9 [illegible] auditum, 6,25 cum auditum; bellatum, celebratum, certatum, cognitum III, 6; 13,18; 4,21 in enuntiato causali „quia cognitum"; V, 18 [illegible] 4,73 [illegible] 16,16 [illegible] in enuntiato temporali „quod ubi cognitum"; III, 58 et 3,35 „quae ubi cognita" copula apud numerum pluralem omissa est*). Pariter et singularis et pluralis numerus participii compertus sine copula exstat I, 7? postquam id Romae compertum; III, 14 ubi haec comperta; Annales 3,21 quae postquam L. Apronio comperta**); creditum quater; [illegible], consultatum, dubitatum septies (cf. Liv. [illegible]). Sed haec sufficiunt.

II.

Venimus ad aliud genus omissionis verbi copulativi, quae apud nomina exstat.

1. Ac primum haec ellipsis apud substantiva quaedam abstracta invenitur, quae praedicati munere funguntur. More poetarum,

*) [illegible]

**) [illegible]

apud quos innumera eiusmodi exempla leguntur. Tacitus formas verbi substantivi, saepissime temporis praesentis, minus saepe imperfecti et perfecti easque fere post aliud praeteritum tempus his substantivis detraxit, quo ea gravius ad aures legentium pervenirent, neque ullum discrimen est, utrum in primariis an secundariis enuntiationibus posita sint. Frequentissima autem est ea omissio in descriptionibus morum atque institutorum, quare Germania satis multos locos exhibet. Talia substantiva sunt: fas G. 6: nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas., 1,77: qua divus Augustus responderat, neque fas Tiberio infringere dicta eius. Ex verbo antecedenti „responderat" copula omissa „erat" facile subauditur. Infinitivus esse deest apud fas 1,77; 3,17. Posita est copula D 26; 36; A 46; IV, 58 (in oratione). Cf. Verg. Aen. I, 206; II, 157; 402; 779; IV, 113; VI, 563. flagitium G. 6: scutum reliquisse praecipuum flagitium. Cum empsasi dicta est copula 14,14: nam et eius flagitium est, ubi scriptor suum ipsius iudicium de foedo studio Neronis cum gravitate profert. rubor G 13: nec rubor inter comites aspici. Cf. 11,17: nec patrem rubori, quo loco infinitivus esse omissum est. At positum est verbum: 14,55: „unde etiam mihi rubori est" in oratione. probrum G 22: diem noctemque continuare potando nulli probrum. laus G. 32: nec maior apud Chattos peditum laus quam Tencteris equitum. venia G. 19: publicatae enim pudicitiae nulla venia. mora omnibus locis cum negatione aliqua sine verbo legitur. Cf I, 59; 4,70; 13,45; II, 14. Item apud poetas. Cf. Plew p. 5.

Etiam vocabulo fides v. s. nunquam est adiunctum: G. 10: nec ulli auspicio maior fides; G. 45: quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod; I, 56: nec cuiquam ultra fides; I, 70: nec fides salutis; I, 87: sed plurima fides Licinio Proculo; II, 8: unde illi propior ad fallendum fides; II, 33: cui uni apud militem fides. Cf. Verg. Aen. IV, 12: nec vana fides; III, 375 et saepius. (Plew p. 6).

Vulgarissima est detractio v. s. in constructione esse cum dativo. Cf. Wetzell, de usu v. s. Tacitino p. 44. Quia loci sunt sescenti neque operae pretium est eos adscribere, paucarum formularum usum exhibere satis habeo. Haec elegi:

„cura vel curae alicui aliquid est". G 31: nulli domus aut, ager aut aliqua cura; I, 1: ita neutris cura posteritatis; I, 88:

sapientibus quietis et reipublicae cura; 11,8: collegio quindecimvirum antiquitus ea cura. In enuntiatis secundariis [illegible] deest: I, 30: quis aliqua pars et cura reipublicae; 3,30: quis neque boni intellectus neque mali cura; 14,53: quibus aliqua honesti cura; V, 8: quibus ea cura; IV, 48: quo minoribus maior aemulandi cura. Semel tantum verbum exstat 15,73: quibus verum noscendi cura erat.

Formula „curae aliquid alicui est“ sine copula usurpatur 6,46; 12,48.

In alia dictione, quae semper ferme in enuntiatis relativis aut in interclusionibus apparet, v. s. plerumque suppressum est. Dico formulam frequentissimam „nomen vel cognomen (cognomentum) vel vocabulum est alicui“. Hisce locis copula non est posita: II, 43: cui cognomen Rapaci; III, 6: cui [illegible] nomen; IV, 53: quis fausta nomina; IV, 84: cui n. Rhacotis; 1,31: cui n. superiori; 1,72: cui n. apud veteres idem; 2,4: cui n. Erato; 2,8: cui Drusianae n.; 2,16: cui Idistaviso (cod. Idistavisso) n.; 2,80: cui n. Celenderis; 3,21: cui Thala n.; 3,42: quibus n. Arduenna; 4,25: cui n. Auzea; 4,55: cui mox a Pelope n; 4,59: cui vocabulum Speluncae; 4,72: cui n. Flevum; 6,28: cui Heliopolis n.; 11,4: quibus Petra cognomentum; 12,13: cui n. Sanbulos; 12,55: quibus Clitarum cognomentum; 15,45: cui n. Cleonicus; 15,59: n. mulieris Atria Gallia, priori marito Domitius Silus.

In parenthesi deest verbum: 4,28: nomen utrique Vibius Serenus; 11,3: id paelici n.; 12,51: id mulieri n.

Adversus hos in summa 25 locos, quibus copula omissa est, pausa sunt exempla positionis. Sunt autem haecce: III, 50: clavarium (donativi n. est); IV, 18: quibus Veterum n. est; 6,41: minori Cadra, alteri Davara n. est; 14,22: cui Sublaqueum n. est; 15,10: cui Arsamosata n. est; 14,4: id villae n. est; 16,9: cui n. Barium est; A 22: ad Taum (aestuarium n. est). Accedunt duo loci, quibus perfectum tempus fuit et unus, quo imperfectum erat positum est: 15,37: nomen Pythagorae fuit; II, 4: Sostratus (sacerdotis id nomen erat). Adnotandum est non minus sex positiones in posterioribus libris annalium inveniri.

In formula „mos est alicui vel alicuius“ Tacitus in Agricola et historiis positionem verbi praetulit, in Germania et annalibus praeponderat numerus omissionum. In extremis libris annalium ad

positionem redire coepit. Exstat verbum: A 25: uti mos est; G 15: mos est civitatibus; A 40: quibus m. est; A 39: ut Domitiano moris erat; A 42: quibus m. est; I, 7: ut est mos vulgi; I, 69: ut m. est vulgo; I, 79; neque enim scuto defendi m. est; I, 80: ut mos est; I, 15; ut moris est; II, 80 ubi illis mos est; III, 15 ut mos est; III, 24: ita in Suria m. est; IV, 22: ut cuique genti m. est; 2,38: quibus m est; 12,47 mos est regibus; 15,47: quibus m est. Copula deest G 3: sed arma sumere non ante cuique moris; G 21: abeunti si quid poposcerit concedere moris; A 33: ut barbaris moris; IV, 83: quibus mos talia intellegere; V, 17: ita illis mos; 1,6: ut m. militiae; 1,39: utque m. vulgi; 1,56: quod illi moris; 2,54: ut m. oraculis; 3,44: ut m. famae; 4,49; ut m. barbaris; 16,6: ut Romanus (Romanis ?) mos.

Praeterea v. copulativo saepius carent vocabula causa, origo similiaque, quibus notio oriundi inest. causa A 41: causa periculi non crimen ullum; III, 78: causa tam pravae morae, ut; 1,53: par causa saevitiae; 1,53: nec alia tam intima Tiberio causa; V,23: causa instruendae classis, ut; 4,1: initium et causa penes Aelium Seianum; 11,4: at causa necis ex eo quod; 4,46: causa motus, quod. At perfectum fuit aliis locis positum est: II, 54; 4,11; 58; 6,9; 14,50. Eadem significatione qua causa vox ratio sine copula usurpatur III, 82: ratio cunctandi, ne.

Pariter vocabula origo, patria, genus in constructione cum dativo personae verbo substantivo carrent. Cf. II, 50; 6,51; III, 43; 86; IV, 55; 6,27; 15.

2. Etiam adiectivis quibusdam maximeque neutri generi eorum, quae notione affectionis animi aut facultatis aut notitiae aut dubitationis praedita sunt, Tacitus poetarum usum secutus studioque brevitatis sententiosae, qualis proverbiorum propria est, adductus v. s. non adiecit. Sic sine copula posita inveniuntur: mirus, clarus, dubius, incertus, gnarus, notus, facilis, promptus, difficilis, arduus, reliquus, intutus aliaque similia*). Exempla sequuntur:

mirus D 19,17; 36,28: nec mirum; I, 79: namque mirum dictu; 4,40: mirum hercule; 12,37: quid mirum; 15,54: sed mirum

*) Cf. eandem ellipsim a Graecis apud adiectiva *ἑτοῖμος, φροῦδος, αἴτιος, ῥᾴδιος, χαλεπός, δῆλος, οἷός τε, θαυμαστός* al. admissam. Vide Buttmanni Grammaticam Graecam § 128, 20 A 18.

quam. clarus IV, 17: clara ea victoria in praesens, in posterum usui; 14,58: atque omnia id clarum; 4,74: clarum inde inter Germanos Frisium nomen. dubius I, 8: an imperare nobis esset dubium; 6,23: quem egestate cibi peremptum haud dubium; 4,12: quis [illegible] dubia successio; 1, [illegible]: haud dubiae iam in castris omnium mentes. incertus 4,74: magnitudine urbis incertum quid. V, 79: [illegible] tentaverint Pisonem ad res novas an tentanti restiterint, incertum. notus G 10; A 18; III, 22; I, 86; V, 20; 2,65. In oratione obliqua infinitivus perfecti supplendus est IV, 57: melius divo Julio notos (sc. fuisse) eorum animos. Eodem sensu passivo quo notus scriptor gnarus verbo omisso usurpavit 1,51: quod gnarum duci (sc. erat) incessitque itineri et proelio; 6,46: gnarum hoc principi eoque dubitavit de tradenda republica. Infinitivus perfecti in oratione obliqua 1,5: „gnarum id Caesari“ post infinitivum antecedentem aperuisse suppressum est. ignotus G 26: faenus agitare ignotum. arduus I, 85: arduus rerum omnium modus; 12,17: quia trucidare deditos saevum, tantam multitudinem cingere arduum (sc. esset). Sequitur alius subiunctivus. 2,20: quod arduum (sc. erat) sibi, cetera legatis permisit. III, 26: incipere obpugnationem arduum et anceps. intutus 4,3: quia vi tot simul corripere intutum; 14,35: quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum. proprius G 10; G 30: equestrium virium id proprium. rarus G 25: verberare servum rarum; G 30: quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum. Similia sunt haec enuntiata relativa, in quibus et ipsis copula deest I, 8: quod periculosissimum; III, 69: quod tutissimum e praesentibus; 12,14: quod unum reliquum; 16,17: quae tum promptissima mortis via; 6,26: quod vix credibile; 12,47: quod dedecorum barbaris.

Memoranda est hoc loco brevitas Taciti potissimum propria, qua scriptor parcissimus verborum enuntiatum relativum „quod est rarum, quod rarum (rarissimum), quod raro alias (sc. fit)“ in annalibus 1,56; 6,10; 13,2 decurtavit et in appositionem vel interclusionem epexegetice adiunctam rarum contraxit. De hac Woelfflinius Philol. 26,107 et Robertus Schmidt p. 11 disputaverunt. Aliae appositiones sive interclusiones huc referendae sunt 11,11: vulgabaturque affuisse infantiae eius dracones, fabulosa et externis miraculis adsimilata; 16,8: ipsum dehinc Silanum increpuit, inania simul et falsa; 1,35: extrema et conglobata inter se pars contionis ac, vix credibile dictu, quidam singuli propius incedentes, feriret hor-

tabantur; III, 56: contionanti (prodigiosum dictu) tantum foedarum volucrum supervolitavit; 2,17: mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga ruebant; V, 6: praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum; 1,11: Augustus addiderat consilium coercendi imperii, incertum metu an per invidiam. Sic saepius in annalibus: 6,50; 11,22; 14,9; 51; 15,38; 51; 64. Praeterea iam A 7 et IV, 11. Similis est locus 1,5: neque multo post, extincto Maximo, dubium an quaesita morte*).

3. Gradus comparativi adiectivorum in enuntiatis, quae ab ablativis discriminis quanto, quo incipiunt, verbo persaepe carent, quippe quod e verbo enuntiati primarii facile suppleatur. Exempla sunt permulta.

II, 54: et mors Othonis quo laudabilior (sc. erat), eo velocius audita; I, 14: ea pars morum eius quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat; II, 35: quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius detestabantur; 1,34: sed Germanicus quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Cf. praeterea 2,20; 3,69; 14,22; 2,24; 2,5.

In enuntiato primario apud comparativum copula omissa est II, 71: quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter (sc. erat); II, 78: crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur. In utroque enuntiato v. s. supplendum est A 31: longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius; G 20: quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus; III, 58: quanto quis clarior, minus fidus.

Cf. Sall. de b. Iug. 85: nam quanto illorum vita praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior.

Etiam post formulas „si quis, si qua, si quid, si quod, ut quis, prout quis, ut quisque" v. s. a Tacito pariter atque a poetis omitti solet. Cf. Plew p. 26. Nonnulla exempla adscribo:

IV, 29: si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant; IV, 46: si qui aliorum exercituum, separatim adsistere iubet; 15,11: peditum si quis integer longinqua et avia, vulnerati

*) Hanc brevitatem dicendi ne aliis quidem scriptoribus Latinitatis argentae, quae dicitur, alienam mansisse sufficiat hos locos ex chorographia Pomponii Melae petitos afferre: III, 6,51: (Britannia) fert populos tantum pecore ac finibus dites, incertum, ob decorem an quid aliud vitro corpora infecti; I, 12,71: iuxta in parva tumulo Arati poetae monumentum ideo referendum, quia, ignotum quam ob causam, iacta in id saxa dissiliunt.

castra repetivere; 12,41: 2,82: ut quisque obvius, in alios atque illi in plures transferunt; 6,8: ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus; 1,28: prout splendidior obscuriorve laetari aut maerere; III, 66: ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et condicionem abnuebant. Cf. II, 23; 1,30; 3,55; 14,26; 12,39; 15,73; I, 11; II, 5; III, 17; IV, 28.

Bis in enuntiatis disiunctivis praeteritum tempus v. s. positum est I, 11: ut cuique odium aut admiratio fuit; 1,59: ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.

Nec minus saepe post formas pronominum relativorum „quod, quantum, quidquid", cum genetivus partitivus ab eis pendet, copula ex verbo enuntiati primarii subaudienda est. Cf. IV, 15: signa vexillaque, et quod militum (sc. erat), in superiorem insulae partem congregantur; V, 23: complet quod biremium; 1,64: obruto quod effectum operis duplicatus militi labor; 2,52: quod sub signis sociorum in unum conductos ad hostem duxit; 1,64: quantumque gravioris agminis (sc. esset) anteirent; 3,28: quod usquam civium corruperant; 4,73: quod reliquum auxiliorum tradit; 6,11: quod civium audacia turbidum; 15,26: quodque alarum cohortiumque; II, 14: quantum inter colles ac litus aequi loci; III, 83: quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum; IV, 59: quantumque militum apud superiorem Rheni ripam; 1,60: quantumque Amisiam et Lupiam amnes inter; 15,37: quantum iuxta nemoris; IV, 39: egesto quidquid turbidum, redit urbi sua forma.

Paucis tantum locis scriptor v. s., quod sine dubio nimis exilis atque exsanguis ei videbatur esse, posuit. Sunt hi: IV, 71: contracto quod erat militum; 4,24; III, 29: completur caede quantum inter castra murosque vacui fuit; IV, 33: quantum peditum erat; I, 89: quidquid utrimque virium est. Bis verbum in annalibus in oratione exstat: 2,39: quantum pauperum est; 14,43: quidquid in vobis auctoritatis est. Praeterea tantummodo in his enuntiatis imperfectum v. s. invenitur: 1,48: quod maxime castrorum sincerum erat; 13,56: quod iuventutis erat.

Ut in his, ita in aliis enuntiatis relativis, quae exiguo ambitu et minoris momenti sunt maximeque post dativum pronominum relativorum v. s. haud raro subintellegendum est. Cf. 4,69: quorum adfatim copia; III, 69: inter quas maxime insignis Verulana Gratilla; I, 23: quaeque alia turbamenta vulgi; III, 71: quae crebrior

fama; 1,11: quibus unus metus; 47: cui maior e longinquo reverentia; 1,57: inter quos uxor Arminii; 1,77: ex quis maxime insignia.

In posterioribus tamen annalium libris numerus eorum locorum, quibus copula posita est, praevalet. Cf. 13,3: quibus otiosum est; 13,35: quibus senectus aut valetudo adversa erat; 15,42: quibus ingenium et audacia erat; 15,44: quibus mariti erant; 15,73: quibus verum noscendi cura erat; 74: cui est vetus aetas.

Item interrogationes et directae et indirectae, praecipue si duae pluresve copulantur, verbum omitti sinunt. Cf. III, 56: quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urgendo trahendove modus, alios rogitans; 3,11: adrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo; 1,35: ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus, rogitans; 15,62: rogitans, ubi praecepta sapientiae, ubi meditata ratio adversum imminentia; 1,67: quae domi cara, quae in castris honesta, memorat; 13,54: quis eques, ubi senatus percontatur; 2,14: quae provisa aptaque imminenti pugnae disserit; 3,45; 4,72: non intenta cuiusquam cura, quae firmitudo, quae mensura; 6,37; 12,35: circumspectis quae inpenetrabilia quaeque pervia; 1,11; 1,48; 11,15; 1,28; 1,41; 42. De pari usu poetarum vide Plew p. 29.

4. Poetarum denique more Tacitus post pronomen demonstrationem **hic** et determinativa **is**, **idem** propter vim demonstrativam, quae eis inest, et post indefinita quaedam pronomina v. s. in omnibus libris saepissime omisit.

Hic. Usitatissima est repetitio pronominis hic. Cf. D 12: haec eloquentiae primordia, haec penetralia; A 45: noster hic dolor, nostrum volnus; G 7: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores; 13: haec apud illos toga, hic primus iuventae honos, haec dignitas, hae vires; 31: haec prima semper acies; 32: hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; 45: hic Sueviae finis; III, 75: hic exitus viri; III, 34: hic exitus Cremonae; III, 21: hic aquilarum signorumque ordo; 13,1: haec causa necis; 1,58: non hic mihi primus dies; 11,23: recentia haec; 16,30: vetera haec; 4,38: haec mihi in animis nostris templa, hae pulcherrimae effigies et mansurae.

Is. G 31: ignominiosum id genti; D 9,27: pulchrum id quidem; II, 27. contumeliosum id militibus, acerbum duci; II, 69: exitiabile id reipublicae, ingratum militi; III, 26: id quoque formidolosum;

II, 78: grande id prosperumque; 1,63: angustus is trames; 1,65: neque is miseriarum finis; G 38: ea cura formae, sed innoxia; IV, 19: ea principis aetas, ea moderatio; IV, 30: is acerrimus locus; 1,38: ea vetustissima militaribus odiis materies; 1,53: nec is libidini finis. Perraro verbum exstat. Cf. G 5: eaeque solae et gratissimae opes sunt; 2,1: is fuit Vonones.

Ille: G 10: illud quidem etiam hic notum; 1,58: testis illa nox.

Idem: A 16: eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum; A 12: eademque utriusque rei causa; G 20: eadem iuventa, similis proceritas; III, 22: eadem utraque acie arma; IV, 16: eadem etiam in navibus perfidia; IV, 73: eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias; IV, 32: eadem dicta factaque; V, 21: idem Veraci effugium; 1,70: eadem freto litori campis facies. Subiunctivus in enuntiato secundario deest 1,9: quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus (sc. fuisset). Omissio excusatur subsequenti verbo „finivisset". Alia exempla eius generis sunt: 3,54: ne inritamenta quidem eadem; 6,50: idem animi rigor; 14,37: idem auxiliarium impetus; 3,15: eadem Plancinae invidia, maior gratia; 3,1: idem omnium gemitus; 2,63: idem Catualdae casus neque aliud perfugium; 3,6: non enim eadem decora.

Nihil: I, 9: in exercitu nihil novum; I, 79: nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum; II, 92: inter discordes Vitellio nihil auctoritatis; II, 13: quippe in acie nihil praedae; 12,45: nihil tam ignarum barbaris; 4,60: haec atque talia audienti nihil quidem pravae cogitationis.

Quisquam: A 32: nec quicquam ultra formidinis; 6,16: neque enim quisquam tali culpa vacuus; 14,15; II, 45: nec quisquam adeo mali expers; II, 78: nec quisquam magis in ore volgi; III, 33: nec quicquam inlicitum; III, 68: nec quisquam adeo rerum humanarum immemor. At 15,61: „nec quisquam illo fidelior fuit" et 11,5: „nec quiquam tam venale fuit" perfectum positum est.

Nullus: III, 7: nulla in oratione umquam erga Flavianos duces obtrectatio; G 10: nulla de eadem re consultatio; IV, 72: nulla inter coeuntes exercitus consalutatio; A 30: nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa. In enuntiatis secundariis verbum omissum est 1,9: in qua nullus tunc legionis locus; II, 72: postquam

nulla dictis fides; 13,15: quia nullum crimen; G 17: ut quibus nullus per commercium cultus.

Ullus. G 20: nec ulla orbitatis pretia; IV, 23: nec ulla ipsis sollertia; III, 61: nec ulla apud Vitellianos flagitii poena.

Alius. G 17: nec alius feminis quam viris habitus; A 12: nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius; G 46: nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium; 6,86: nec iam aliud Artabano reliquum; 1,39: neque aliud periclitanti subsidium quam castra primae legionis; 1,56; 1,54: alia Tiberio via. Positum est perfectum v. s. 12,51: nec aliud Radamisto subsidium fuit.

III.

Ea genera omissionis v. s., de quibus adhuc diximus, Tacito cum multis scriptoribus Latinis et historicis et poetis sunt communia, etiamsi usu crebro et paene continuo eorum narrationi scriptoris insignem colorem adstrui negari non potest. In praecipuis vero Taciteae elocutionis proprietatibus frequentissima detractio verbi exsistendi vel oriundi habenda est, quae apud adverbia loci, inprimis apud particulas hinc, inde, unde invenitur. Sed ne hoc quidem dicendi genus veteribus scriptoribus prorsus ignotum fuisse et Terentianum illud*): „hinc illae lacrimae" (sc. oriuntur), quod idem Horatianum et Ciceronianum est atque etiam in proverbium venit, et pauci loci Liviani documento afferri possunt.

Liv. 1,41: clamor inde concursusque populi, mirantium, quid rei esset; 5,26. obsidio inde urbis et munitiones et interdum per occassionem impetus oppidanorum in Romanas stationes proeliaque parva fieri; 1,54: largitiones inde praedaeque et dulcedine privati commodi sensus malorum publicorum adimi**):

*) Cf. Ter. Andr. 1, 1,99.

**) Interdum apud Livium infinitivus historicus esse cum his nominativis absolutis qui dicuntur coniunctus occurrit velut 5,46: Romae interim plerumque obsidio segnis et utrimque silentium esse; 2,47: inde populares iam esse Fabii; 2,53: intra vallum deinde caedes magis quam proelium esse, cum quo loco Tacitus III, 77: „inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit" et

Sed Tacitus fines angustos huius breviloquentiae a prioribus circumscriptos multo dilatavit, neque enim solum apud adverbia hinc, inde, unde, undique, utrimque, quae motum atque originem alicunde indicant, sed etiam apud eas particulas, quae quietem intra locum aliquem designant, velut ibi, ubi, ubique, hic, alibi, passim, iuxta, palam et apud dictiones praepositionales, quibus cognata significatio inest, in vivida vel citata narratione aut in concisa descriptione verbum omisit. Accedunt ea adverbia, quae progressum actionis inferunt, quam vim particulae inde et ipsi propriam esse constat, qualia sunt: iam, tum, exinde, dehinc, simul, tunc, mox, exim. Atque etiam sine ulla particula nominativo tantum absoluto, qui a grammaticis vocatur, novum membrum narrationis vel descriptionis haud raro breviter significatur, ad quod munus explendum nomina verbalia in io vel us desinentia aptissima esse facile cognoscitur*).

Iam ad exenpla transeamus:

1. Usitatissima est ellipsis verbi oriundi apud adverbia pronominalia hinc, inde, unde similiaque, quibus cum emphasi in initio aut post primam vocem enuntiati positis verbum satis indicetur. Hoc genus breviter dicendi tum maxime legitur, cum de origine alicuius affectionis animi proferenda agitur, id quod apud Tacitum, sagasissimum illum inquisitorem pectoris humani, saepissime accidit.

Ex Agricola et Germania huc pertinent hi loci: A 21: inde etiam habitus nostri honor; G 4: unde habitus quoque corporum idem; 40: arcanus hinc terror sanctaque ignorantia.

In interrogatione obliqua subiunctivus sit supplendus est G 9: unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi. In aliis enuntiatis secundariis verbum omissum est: G 39: tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus; G 45: quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides

IV, 63: „caedes inde, non proelium“ est comparandus. Uno loco Germ. 7: „et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium“ Tacitus infinitivum historicum post adverbium unde audacius usurpavit versum Vergilianum 6,557: „hinc exaudiri gemitus et saeva sonare verbera“, ut videtur, cum mutatione aliqua imitatus. Apud Vergilium et ipsum in enuntiatione relativa infinitivus historicus semel 11,822: „Accam alloquitur, fida ante alias quae sola Camillae, Quicum partiri curas“ legitur.

*) Cf. Madvigi grammaticam Latinam § 447 d. A. 2: „Bisweilen steht in fortschreitender Rede ein Nominativ mit Auslassung eines Verbs, welches geschehen, eintreffen u. s. w. bezeichnet, um einen neuen Punkt, ein neues Glied der Erzählung kurz anzudeuten.“

In annalium vero prioribus libris magisque etiam in historiis, quae stilum etiam vividiorem commotioremque praeferunt, hac adstricta brevitate nihil crebrius est Cf. II, 8: inde late terror; 58: inde Cluvio Rufo metus; 1,63: inde hostibus terror, fiducia militi; 1,66: tanta inde consternatio; 4,59: hinc metus in omnes et fuga; 6,50: pavor hinc in omnes et ceteri passim dispergi; II, 85: unde metus et ex metu consilium; 11,8: unde metus in ceteros, et accivere Vardanen; IV, 19: unde suspicio; 16,18: unde invidia Tigellini; II, 30: hinc aemulatio ducibus; IV, 6 hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium; IV, 14: hinc invidia; 2,69: hinc graves in Pisonem contumeliae; IV, 31: diversi hinc motus animorum; 35: duplex hinc seditio; III, 53: inde graves simultates; IV, 13: inde causae irarum spesque ex malis nostris; 4,72: hinc ira et questus et postquam non subveniebatur remedium ex bello; II, 60: unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus; 13,9: unde discordia inter duces; I, 65: unde aemulatio et invidia et uno amne discretis conexum odium; III, 25: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli exsecratio; II, 53: hinc admiratio et plura interrogandi pudor; 1,41: pudor inde et miseratio et memoria; 14,60: inde crebri questus nec occulti per volgum; IV, 27: inde scelerum atque suppliciorum vices et mixtus obsequio furor; 3,55: obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus; V, 5: hinc generandi amor et moriendi contemptus; 1,33: unde in Germanicum favor et spes eadem; 6,47: unde illis maior miseratio; 6,35: maior hinc clamor obsistentium penatibus privatis, in Palatium vocantium; IV, 34: hinc in ducem clamor pugnam poscentium; I, 54: inde atrox rumor; 4,54: inde rumor parari exitium; III, 25: vagus inde an consilio ducis subditus rumor; 1,9: multus hinc ipso de Augusto sermo.

Apud particulas undique et utrimque verbum non est positum:

III, 24: undique clamor et orientem solem tertiani salutavere*); I, 82: undique arma et minae; II, 21: utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes; 1,5: multas utrimque lacrimas et signa caritatis (sc. fuisse).

*) Eleganter de pulchritudine et poetico colore huius loci disputavit P. Spitta, de Taciti in componendis enuntiatis ratione. Gottingae 1866, p. 8. Haud dissimiles sunt loci 3,46: ingens ad ea clamor, et circumfudit eques, deinde 11,8; 2,82.

Pariter apud dictiones praepositionales, quae directionem, unde aliquid venit, significant, imprimis apud ex eo, quod variandi causa pro particula hinc in his usu interdum accepit, Tacitus verbum omisit. Cf. A 11: habitus corporum varii et ex eo argumenta; II, 2: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum; 4,60: seu loqueretur, seu taceret iuvenis, crimen ex silentio, ex voce; 2,20: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria; 1,7: causa praecipua ex formidine; 6,10: sed praecipua ex eo gloria; 11,4: at causa necis ex eo, quod; 6,14: fiducia ex libertate civium, quod; A 5: nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

At in posterioribus annalium libris haec enuntiata minutissima rariora fiunt saepiusque verbum exsistendi vel oriundi vel sequendi ponitur quam omittitur. Cf. 13,20: unde orta fiducia; 13,9: hinc ortum inter praefectum et centurionem iurgium; 13,15: unde orta miseratio manifestior; 15,44: unde miseratio oriebatur; 16,15: causa festinandi ex eo oriebatur; 15,56: tum exorta suspicio.

2) Verbum esse significatione verbi exsistendi praeditum sive notio generalis actionis apud adverbia et dictiones praepositionales quietis, ut ita dicam, quae locum, ubi aliquid est aut fit, significant, cum in aliis narrationibus vividis tum in descriptione pugnarum, in oppositione habitus exercituum hostilium, in expositione pressa atque concisa morum institutorumque omittitur.

Exempla sunt haec:

II, 15: atrox ibi caedes; IV, 20: ibi plurimum cladis; II, 88: sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem; A 22: ita intrepida ibi hiems; II, 6: inconcussa ibi pax; A 32: hic dux, hic exercitus; ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae; IV, 77: nulla hic proditio; I, 85: ubi plurimae voces; III, 83: saeva ac deformis urbe tota facies; alibi proelia et volnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes; A 38: vastum ubique silentium, deserti colles, fumantia procul tecta; I, 20: ubique hasta et sector; ac tamen grande gaudium, quod; A 37: passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus; II, 84: passim delationes; 2,82: passim silentia et gemitus; IV, 1: ubique lamenta, conclamationes et fortuna captae urbis.

Comparari potest locus Plinii Secundi, qui in descriptione illa laudata eruptionis montis Vesuvii ep. 6,16 legitur: iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque.

Loco particularum passim, ubique enuntiatum relativum positum est 4,70: quo oculos intendisset, quo verba acciderent, fuga vastitas, deseri itinera fora.

Alia id genus exempla sunt:

1,3: domi res tranquillae; 1,61: medio campi albentia ossa; 1,49: clamor volnera sanguis palam, causa in occulto; 4,1: iuxta adulatio et superbia; palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido; 12,7: palam severitas ac saepius superbia, nihil domi impudicum; 13,25: otium foris, foeda domi lascivia; II, 55: at Romae nihil trepidationis; 2,8: at Romae dolor, ira et et erumpebant questus; IV, 77: dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructerri Tencterique; 1,65: plurima circa aquilas labor; II, 89: quattuor legionum aquilae per frontem totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques; V, 21: plus discriminis apud Grinnes Vadamque; 1,65: apud Romanos invalidi ignes; II, 75: apud victos plus queremoniarum quam virium; 4,64: fama apud populum; 6,35: apud Sarmatas non una vox ducis; V, 16: exhortatio ducum non more contionis apud universos.

Aliis locis scriptor praepositionem per eadem vi qua apud*) praeditam et ipsam sine verbo usurpat. Cf. I, 18: per ceteros maestitia ac silentium; IV, 46: metus per omnes et praecipua Germanici militis formido; II, 42: et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies.

3. Apud particulas et dictiones, quae tempus indicant, hisce locis verbum non exstat**):

G 37: inde otium; 11,24: continua inde ac fida pax; IV, 33: caedes inde, non proelium; 12,39: crebra hinc proelia; I, 19: inde apud senatum non comptior Galbae, Pisonis oratio; 13,44: tum iurgia preces, exprobratio satisfactio; III, 83: nec tunc minus crudelitatis; nunc inhumana securitas; 3,28: exim continua per viginti annos discordia, non mos, non ius; 1,10: pacem sine dubio post haec, verum cruentam, Lollianas Varianasque clades; I,65: nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces; II, 19: iamque totis castris sermones; V, 13: simul ingens motus excedentium; A 33: iamque

*) Cf. 1,47, ubi praepositiones per et apud alternant: validior per Germaniam exercitus, propior apud Pannoniam (sc. erat).

**) Cf. Plin ep. 6,20: iam cinis, adhuc tamen rarus. Initio huius epistulae ad C. Tacitum amicum datae idem scribit: mox balineum, cena, somnus inquietus et brevis.

arma et armorum fulgores; 11,35: continuus dehinc cohortium clamor; 11,35: mirum inter haec silentium Claudii; 3,46: ingens ad ea clamor; G 37: medio tam longi aevi spatio multa invicem damna.

Locum adverbii temporis enuntiatum secundarium vel ablativus absolutus tenet II, 29: ut vero Valens processit, gaudium miseratio favor; II, 46: quas inter voces ut flexerat voltum aut induraverat Otho, clamor et gemitus; 4,63: ut coepere dimoveri obruta, concursus ad exanimos complectentium, osculantium; et saepe certamen; 1,19: profecto iuvene modicum otium.

4. Etiam nulla particula sive temporis sive loci praecedente scriptor his nominativis absolutis praesertim cum negatione coniunctis pro totis enuntiatis uti solet, ubi summas tantum res breviter attingit aut vivide describit.

A 17: multa proelia et aliquando non cruenta; G 46: sordes omnium ac torpor procerum; I, 40: neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti voltus et conversae ad omnia aures, non tumultus, non quies; 12,43: nec occulti tantum questus; 1,25: murmur incertum, atrox clamor et repente quies; 11,27: discubitum inter convivas, oscula, complexus; noctem denique actam licentia coniugali; 15,55: fomenta volneribus nulla iussu suo; 1,7: sed defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae, arma, cetera aulae; 1,14: multa patrum et in Augustum adulatio; 14,7: igitur longum utriusque silentium.

Saepenumero etiam maximeque in annalibus tales nominativi absolute sine verbo positi cum infinitivo historico alternant, quo et ipso nuda actionis notio omni definitione sublata eoque expressius significatur*). Ex Tacito haec exempla adscribere satis habeo:

IV, 29: tum vero strepitus dissoni, casus incerti; neque feriendi neque declinandi providentia. unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere artus, nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare et ignavorum saepe telis fortissimi cadere; 1,25: illi quotiens oculos ad multitudinem rettulerant, vocibus truculentis strepere,

*) Recte de affinitate horum generum dicendi Storch p. 14 indicat: „Verwandtschaft zeigt diese Form (des absoluten Nominativs) mit dem historischen Infinitiv, welcher das Prädikat auch nur als abstrakten Begriff gibt (gewissermassen in der Form eines nicht fertig gewordenen Nomens) und, da die Kopula fehlt, nämlich die Flexionsendung, es nicht mit dem Subjekt zur Einheit zusammenschliesst.

rursum viso Caesare trepidare; murmur incertum, atrox clamor et repente quies; 4,51: miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere . . . incerti ictus, volnera improvisa; 15,37: iam gestus motusque obsceni et circumiecta tecta consonare cantu et luminibus clarescere; 6,17: ita primo concursatio et preces, deinde strepere praetoris tribunal eaque quae remedio quaesita, venditio et emptio, in contrarium mutari; II, 41: circumsistere alii signa sua, quaerere alii; incertus undique clamor adcurrentium, vocitantium.

Diversi ab his locis, quibus sive verbum praedicativum supplendum est sive nomen verbi vicem obtinet, sunt alii, quibus Tacitus exemplum Sallusti (de b Iug. 101: tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi fugere, occidi capi) imitatus nominativos absolutos infinitivis permixtos loco nominum subiecti ad praecedens nomen praedicati adicit.

Cf. A 37: tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi vulnerare capere . . . passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus; II, 70: foedum atque atrox spectaculum intra quadragesimum pugnae diem: lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus; III, 30: ac rursus nova laborum facies: ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles.

IV.

Verba dicendi et agendi denique haud raro a Tacito omittuntur, quod adverbio vel ablativo modi aut accusativo obiecti aut alio verbo sive antecedenti sive subsequenti satis indicantur aut ex contextu orationis nullo negotio supplentur. Qua omissione scriptorem ab elocutione Latina non recessisse, sed vestigia priorum et poetarum et rerum scriptorum premere satis compertum est. Ut alios silentio praetermittam, pauca exempla ex Vergilio et Livio afferam.

Verg. Aen. 1,37: cum Juno . . . haec secum; 76: Aeolus haec contra; 12,631: Turnus ad haec; 1,325: sic Venus; 1,335

tum Venus Liv. 42,41: ad ea rex; 15,44 haec de Poenis nostri scriptores; 30,44 haec Hannibal apud Carthaginienses; 21,42 haec apud Romanos consul.

Similes sunt hi loci Taciti: 3,8: haec palam et vitato omni secreto; 3,46: non diu haec nec apud laetos. Memoriae eius qui haec legit vel audit obversatur verbum memorandi, quod paulo ante invenitur 15,52: haec in commune; III, 19: haec in medio, pulchra dictu; I, 31: non unus haec nec apud trepidas militum aures; III, 24: haec ut quosque accesserat, plura ad tertianos; IV, 75: ad ea Cerialis Civili et Classico nihil (sc. respondit); 4,34: sed neque haec in principem aut principis parentem (sc. dicta sunt); 16,26: contra qui opperiendum domui censebant, de ipso Thrasea eadem. Repetendum est v. disserunt ex antecedentibus. V, 25: haec volgus, proceres atrociora. Et antecedit et subsequitur oratio obliqua 15,51: ergo Epicharis plura (sc. dicit) et omnia scelera principis orditur; 6,2 (8): haec adversus Togonium; III, 13: atque omnia de Vitellio in deterius; I,65: simul haec et cum delectu scindit agmen.

Pariter notio generalis agendi ex praedicato antecedentis enuntiati ad accusativum pronominis dicta complectentem facillime suppletur, si additamentum ad illud praedicatum cum gravitate adnectitur.

Cf. III, 63: abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, idque non sine decore; 14,6: testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per simulationem; I, 36: non deerat Otho protendens manus adorare volgus, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione; 4,12: igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustae odium, recentem Liviae conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Caesarem arguerent atque haec callidis criminatoribus. Non opus est emendatione Madvigi: alitque haec. 6,48: stuprorum eius ministri, Carvidius Sacerdos praetorius ut in insulam deportaretur, Pontius Fregellanus amitteret ordinem senatorium, id quidem a laetantibus; I, 52: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, allevatae notae, plura ambitiose, quaedam iudicio (sc. facta sunt); IV, 50: sed Pisonis satellites vocabat militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit, neutrum ex merito (sc. fecit). Simillimus est locus A 19, tantum quod enuntiatum ellipticum formatum antecedit, non sequitur: nihil per

libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare*).

Adverbio autem cum affectu quodam oratorio**) in initio enuntiati posito atque praedicato membri relativi sequentis verbum agendi omissum hisce locis indicatur:

G 19: mollius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt; 1,43: melius et amantius ille, qui gladium offerebat; 4,38: melius Augustum, qui speraverit.

His cognatus est locus A 5: nec Agricola licenter (sc. egit) more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt; neque segniter ad voluptatem et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit.

Eandem subtractionem verbi Tacitus in enuntiatis comparativis a formulis „nec aliud quam, quid aliud quam, neque aliud nisi, quid aliud nisi, nec amplius quam, non ultra quam" incipientibus adhibuit, quae in lexico Taciteo a Gerbero et Greefio p 66 et 75 collecta inveniuntur.

Vice versa verbum generalis actionis ex praedicato enuntiati primarii eliciendum et in membrum subiunctum subintellegendum est his locis: I, 89: tum legiones classesque et quod raro alias praetorianus urbanusque miles in aciem deducti; 16,19: nec codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est. Cf Suet Caes. 26: munus populo epulumque pronuntiavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo; V, 22: utque ed fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant

Concinne si scriptor duo membra enuntiati conformare voluisset, finiendum ei erat: clamore agebant. Sed hac ipsa concinnitate sublata pro exspectato verbo „agebant" aliud, cui angustior notio inest, posuit et illud in priore membro oppositi lectori supplendum reliquit. Optime huc quadrant, quae Hauptius***) de stilo Taciteo acutissime iudicat:

„Tacitus will soviel als möglich Gedanken oder Vorstellungen

---

*) Non verbum dicendi, quod Heraeus et Clemmius p. 48, qui huic assentitur, voluerunt, sed v. s. erat supplendum est I, 14: quamquam nihil adhuc de Vitellio certum. Cf. simillimum locum Suetonii Nero 1: de qua incertum erat.

**) Loci annalium 1,43 et 4,38 in orationibus leguntur.

***) Cf. Christ. Belger, Moriz Haupt als akademischer Lehrer, Berlin 1879, S. 269.

oder Begriffe in einem Satze vereinigen. Das ist zu prüfen an den Taciteischen Gegensätzen. Er gebraucht in der Regel nicht den einfachen Gegensatz, den der Gedanke unerlässlich fordert, sondern, um es bildlich auszudrücken, sein Gegensatz kommt von der Seite d. h. bringt zum Unerlässlichen noch eine Nebenvorstellung.

Et paulo infra: Dieses Hereinziehen von Nebenbegriffen ist ein wesentliches Merkmal des Taciteischen Stils, eine Manier, welche die Rede zwar sinnschwer macht, aber aus der korrekten Einfachheit ausbiegt".



Conclusio

Ad finem festino, quamquam omnes partes materiae amplae haudquaquam me absolvisse non ignoro. Complures formas huius breviloquentiae, velut detractionem verborum dicendi vel sentiendi ante orationem obliquam usitatissimam*), suppressionem modi subiunctivi verbi esse in enuntiatis secundaris, quae praeter duos locos 1,7 et I, 85 nunquam exstat, nisi subiunctivus alius verbi in enuntiato coordinato subsequitur**), silentio praeterii, quia acta agere nolebam. Unum restat, ut ea quae hic illic de processu et recessu singulorum generum detractionis verbi attigi, paucis comprehendam; neque enim scriptorem inde ab Agricola usque ad postremos annalium libros unum eundemque mansisse suo iure Woelfflin contendit. Quare non est mirum, si ne in hac quidem dicendi proprietate Tacitus sibi constitit

Ac primum quidem inter orationes narrationi historicae insertas et narrationem ipsam haud exiguum discrimen est et eadem fere differentia inter Dialogum, qui maximam partem orationibus continetur, et ceteros libros intercedit. In orationibus enim et in Dialogo Tacitum Ciceronis studiosum fuisse pro certo putandum est Unde factum est, ut exempli gratia in orationibus Galbae I, 15 et Pisonis I, 29 et Tiberii omissiones verbi substantivi admodum rarae, positiones frequentissimae sint vixque aliae quam in orationibus Ciceronis deprehendantur***).

Deinde minores libri Agricola et Germania a maioribus operibus in hoc genere maxime differunt Initia quidem ac semina, ut ita dicam, nascentis naturae atque indolis eloquentiae historicae Taciti iam in illis satis multa apparent. Sic iam in Agricola scriptor exemplum Sallustianum†) et poetarum††) usum secutus

*) De hac inprimis Georgius Clemm in dissertatione laudata scripsit.

**) Cf. Nipperdey ad 1,7; Storch p. 15; Wetzell et Woelfflin in Bursian, Jahresberichte 1875 II p. 759.

***) De his cf. M. Seyfferti Palaestram Ciceronianam p. 17.

†) Cf. p. 6. 8.

††) Cf. Wetzellianae dissertationis conclusionem: Omissionis frequentis v. s., quam apud Tacitum invenimus, Vergilii poetae usus proxima analogia est.

formas v. s., quin etiam modum subiunctivum in enuntiatis secundariis interdum supplendum reliquit, aliquotiens verbum agendi quoque et dicendi omisit. Saepius in descriptionibus praecipueque in Germania, quam colore poetico maxime insignivit, esse suppressit. Sed quam multis modis licentiam prius prudenter quodam modo sumptam in historiis et prioribus annalium libris excoluit, quam effuse adhibuit! Id inprimis valet in omissionem subiunctivi admittendam. At in posterioribus libris annalium scriptor ab hac licentia magis magisque recedit rariorque fit in omissionibus verbi*). Quid causae est? Nisi omnia fallunt, idem fuit studium variandi compositionem, quo ut aequalium fastidiosas aures teneret impulsus pro solitis atque usu detritis novas et exquisitas eloquentiae vias recludere nunquam desiit.

*) cf. 6, 7, 11, 19, 24.



Vita.

Natus sum, Casparus Stuhl, Kleineibstadti in vico Franconiae inferioris a. d. VII. Cal. Jan. anno MDCCCLVII Johanno Josepho, Elisabetha parentibus et fidei catholicae addictus. Cum literarum elementa didicissem, gymnasium vicinum Muennerstadtianum et postea Wirceburgense adii. Autumno anni MDCCCLXXVII in societatem Academiae Julio-Maximilianae receptus sum. Ibi docuerunt me Flasch, Grasberger, Jolly, Lexer, Schanz, Urlichs philologi, Unger, Wegele historici, Stumpf philosophus. Tum Monachium me contuli, ubi Bursian, Christ, Halm philologi, Carriere, Prantl philosophi, Giesebrecht historicus me instituerunt. His omnibus gratiam habeo maximam. Jnde ad sedem literarum Franconicam reversum institutione atque doctrina virorum illorum denuo me auctum esse grato animo confiteor. Cum deinde anno MDCCCLXXXI prius examen publicum subissem, per sequentem annum ut Monachii studio comparativo linguarum me dedere possem, munere privato suscipiendo mihi contigit. Verno autem anno octogesimo tertio huius saeculi collegio gymnasii veteris Castrorum Reginorum adiumento additus sum. Calendis Maiis anni duodenonagesimi gradum magistri studiorum consecutus et autumno eius anni Burghusum in oppidum ad Ivarum fluvium situm traductus sum. Ibi plus novem annos pueris ordinum mediorum instituendis consumpsi. Initio anni MDCCCXCVIII ad gymnasium Frisingense ut traducerer, gratia principis nostri impetravi et tum demum otium exoptatum nactus sum, per quod mihi licuit, ut doctoris philosophiae gradum adipiscerer, operam impendere. Postquam cura mea amplissimo philosophorum ordini probata est, examen rigorosum pridie Non. Mart. absolvi.

